



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

5 Corpora & reliquiae sanctorum qu[a]enam de vno ad alium locum transferri possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO V.

Ex conf. 6. in Nouis, deest in antiquis.

- 5 **C**Vi bona sua alienare prohibuit, et si ob delictum aliquod commissum damnatus sit, fideus nec in vita delinquentis, nec postea in predictis bonis succedere potest. l. Statius. ff. de iure fidei.

DECISIO VI.

Ex conf. 8. in Nouis, deest in antiquis.

- 6 **F**ructus beneficiorum a solo separati, etiam non exacti, de iure ad beneficiarium spectant, vel ad legitimos eius heredes (quales in foro conscientie non sunt diuites aut qui in utroque foro legitimi non sunt.) Extrau. Pij V. in c. Quæ ordini. Nec de eis Episcopus disponere valet.

TITVLVS XX.

De Sepulturis.

SYMMARIVM.

- 1 Pater, quare testamentum pro filio impubere facere potest, non autem sepulturam eligere.
- 2 Sepulturæ locus sine causa & solemnitate concedi non debet.
- 3 Excommunicatus, licet signa ante mortem contritionis ostendat, non est tamen in loco sacro ante absolutionem sepeliendus.
- 4 Meretrix noctu ab amico occisa, non presumitur meretricando occisa, nec sepultura priuanda.
- 5 Corpora & reliquie sanctorum quænam de vno ad alium locum transferri possunt.
- 6 Sepeliri in sacro omnis Christianus debet mortuus inuentus, nisi se ipsum occidisse constet.
- 7 Excommunicatus denunciatus, in articulo mortis absolutus in sacro sepeliri potest.

DECISIO I.

Ex conf. 1. alias 2.

- 1 **P**ater, licet filio impubere testamentum facere, c. si pater de testam. in 6. & illi etiam in bonis maternis subsistere possit, l. 1. ff. de vulg. & impensas eius funerales facere tenetur; l. filius. ff. de in rem. eo quod hæc tria temporalia sunt: sepulturam tamen sibi soli, & non filio impubere eligere valet, c. licet. de sepul. in 6. Quia sepulturæ electio spirituale quidam est: ad spiritualia vero filij, sicut ad temporalia eiusdem, patria potestas non extenditur, c. Si annum de iud. in 6.

DECISIO II.

Ex conf. 2. alias 1.

- 2 **C**um sacre rei Dominum nullus habere possit; licet stipulantem. s. sacrum. ff. de verb. oblig. locus sepulturæ nemini concedi potest, ita vt Dominus eius sit, sed neq; alicui sine auctoritate Episcopi, aut cum illa sine iusta causa, & solemnitate, sepulturæ locus concedi debet; ita vt habeat ius sepeliendi in eo mortuos suos, & impediendi, ne alij ibi sepeliantur: Quia licet per talem concessionem dominium rei non transferatur, transfertur tamen vsus eius, & ius quoddam sepeliendi, quod nisi seruari canonibus de non alienandis rebus ecclesiæ, c. sine exceptione. 12. q. 2. c. nulli, de reb. eccl. nō alie. fieri nequit. A quolibet tamen habere liberam sepulturam, vel ius admittendi ad sepulturam in sua ecclesia, ex iure communi sine priuilegio, aut licentia Episcopi, concedi facultas simpliciter potest vt quis in tali loco sepeliatur, c. Absolenda, de sepul. & clem. dudum. §. huiusmodi. tir. cod.

DECISIO III.

Ex conf. 3. alias 4.

- 3 **E**xcommunicatus propter debitum ex delicto descendens, vel contractu mortuus, licet ante mortem signa contritionis ostendat, in loco tamen sacro sepeliendus

non est anrequam absoluitur ab eo, a quo factus est solutus debebat, c. a nobis 2. de sent. ex. & c. si. de sep. ex Nau. in Man. c. 26. nu. 31 & si in articulo mortis a confessario absoluitur, & in loco sacro sepeliatur, non est es humanandus, cogi tamen possunt hæc res eius ad debita soluendum.

DECISIO IV.

Ex conf. 4. alias 6.

- 4 **M**eretrix, quæ in paschate confessæ est, & communi-
cauit, si nocte ab amico in domo amici occisa reperitur, nulloq; pacto constare potest, quod mortua fuerit contrita, vel contritionis signa dederit, eo quod nocte occisa sit, & clauso ostio: certum tamen firmiter ab amico suo iugulatam esse, in loco sacro sepelienda est: eo quod cum non constet de mente, qua amicus illam in domum suam duxerit, & verisimiliter credi possit illam duxisse ad meretricandum, si non occidisset eam; Quia tamen occidit, verisimiliter credi potest deduxisse illam ad lumentam vindictam de aliqua iniuria, quam putabat iuste, vel iniuste sibi factam fuisse, & forte denegando ei ad se ingressum, ita vt probabiliter credi possit non fuisse mortuam in meretricando, sed alia de causa, cuius forte illi in penituit; præsertim cum credi probabiliter possit eam penitentiam esse letum & alia contritionis signa dedisse, dum ferro appetere, quæ sufficienter ad exhibendam sepulchrum in loco sacro, dum non constet de contrario, c. a nobis 2. de sent. ex. com. Sed præterea occisores communiter præmonere solent decidendos, vt se Deo commendent, & de peccatis suis doleant, vt exinde etiam contritam mortuam esse meretricem præfaram probabiliter credi possit.

DECISIO V.

Ex conf. 5. alias 9.

- 5 **C**orpora, & reliquie sanctorum, quæ perpetuè sepulchra traduntur, nec de vna ecclesia ad alteram, nec de vno loco Ecclesiæ ad alium eiusdem Ecclesiæ locum c. corpora. de consecr. d. 7. l. Nec dum. C. de reli. & sump. fune. sine legitima auctoritate mutari, aut transferri possunt: Ideoque nec reliquie, & partes sanctorum quæ sunt legitime altaribus ad illorum consecrationem incluse, sine licentia de illis ad alia mutari queunt, eo quod altari illi perpetuo sunt incluse; quæ vero sepulchra perpetuè non sunt tradita, sed extra sepulchrum in Sacratio, vel alijs locis manent, aliunde ad processiones, vel Missas, vel alias deuotiones sine licentia transferri possunt.

DECISIO VI.

Ex conf. 6. alias 7.

- 6 **C**hristianus manè confessus, & a confessario absolutus, si die sequenti mortuus in cubiculo, ostio clauso, & habens laqueum ex collo pendentem, ipse tamen nec pender, nec omnino iacet, sed quasi genuflexus; inuentus sit: His non obstantibus in loco sacro sepeliri debet, nisi seipsum occidisse constet; Glo. in c. ex parte 2. de sepul. & in dubio non est presumendum de aliquo delictum & 2. de reg. iur. Couar. lib. 2. var. resolu. c. 1. nu. 11. præsertim tam græde, & humanæ inclinationi repugnans, & maxime de nuper confesso, absoluto, & communicato. Vnde & mulier cadens de cymba in fluium in loco sacro sepeliri iubetur, etiam si fugiendū occidisset, quia non præsumitur voluntarie ad se occidendum decessisset, c. ex parte 2. de sepul.

DECISIO VII.

Ex conf. 5. in Nouis, deest in antiquis.

- 7 **Q**ui excommunicatus aut interdictus denunciatus est, si tamen in articulo mortis a parochio, vel aliquo sacerdote simplici, absoluitur, sicut iure antiquo, c. si. de sepul. ita etiam post Concilium Tridentinum sess. 14. c. 7. sine peccato in loco sacro sepeliri, & alijs ecclesiæ suffragijs iuari potest.